

ffinitus feria quarta ante dominicam *Esto michi. Anno domini. M^o. CCCC^o. XXXIX. Johannes Rull. et Tabula five Conspectus omnium Titulorum.*

Errorem, quem in *Ferd. Ugbellii* Catalogo Epp. *Sabinensium Lambecius* *suprac.* notarat, in nova *Italiae Sacrae* editione correctum non fuisse, dolendum est.

335 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 122. f. nitidissime scriptus, fronte, Librorumque initiis auro, coloribusque illustris continet S. *Ambrosii Mediolanensis* Episcopi Libros III. de Officiis hac inscriptione: *Incipit Liber. S. Ambrosii Mediolanensis Episcopi de Officiis.* Initium est: *Non arrogans videri arbitror si inter filios &c.* Textus collatus cum edit. *Maur. Paris. 1690. T. II. col. 1.* valde sincerus est. Possessorem ultimum habuit *Joh. Sambucum*, ad quem e directa famosissima *Matthiae Corvini Hung. Regis* Bibliotheca *Budensi* devenit; cum enim in Frontis imo Scutum gentilitium *Arago-*

niae praeferat, vix dubitem inter *κειμηλια* *Beatricis Neapolitanae*, cujus Pater *Ferdinandus I. Alphonsi V. Arag.* Regis filius fuit, ad *Matthiam* Sponsum delatum fuisse.

CCII. VI. J. H.

Codex chartaceus immixtis paucis membranis Sec. XIV. et XV. Folior. 160. 8. non una manu exaratus et rubricis distinctus *Συλλογην* Opusculorum complectitur, quam percensebimus. I. *Incipit Liber sancti Ambrosij de fuga seculi.* Initium: *Frequens nobis de effugiendo seculo isto est sermo, atque utinam quam difficilis sermo tam cautus et sollicitus affectus &c.* Textus mendis non caret, ut vel *το difficilis* pro *facilis* ostendit; variis tamen locis refectus est. Extat edit. *Maur. Paris. 1686. T. I. col. 417. f.*

II. fol. 34. Verficuli, de quibus in Elencho *Codici* praefixo: *Liber metricus de contemptu mundi editus a quodam de ordine predicatorum quem ad fratrem suum Cardinalem misit.* Ingressus est ejusmodi:

*Cartula nostra tibi mandat dilecte salutes
Plura videbis ibi si non mea dona refutes &c.*

Non contentus Artifex rhythmos suos ita variat:

*Non modo leteris quia forsan cras morieris.
Per nullam sortem poteris depellere mortem &c.*

Et ita:

*Diues inutilis et miserabilis et maledictus
Pauper amabilis et uenerabilis et benedictus &c.*

quo tamen artificio *Bernardum* ad *Cod. CXXXV.* dictum. *Ulti-*
Morlanensem non adsequitur, ut *ma* sunt:

*Ut non priueris hoc lumine corde preceris
Hoc tene dictamen et mecum dixeris Amen.*

Itaque Exemplum praesens a mox citato variat, ei tamen praefendum, quod saltem Autoris conditionem manifestam reddit.

III. fol. 45. *Traetatus de arte moriendi*, cum Prologo, qui incipit: *Cum autem de presentis exilii miseria mortis transitus &c.* *Traetatus* vero ipse: *Cum omnium terribilium terribilissima sit mors &c.* Vide plura, si lubet, *Cod. DXCII.*

IV. fol. 72. p. 2. ut in praefixo *Codici Elencho* legitur: *Oratio beati Iheronimi presbiteri quam scripsit rustico monacho.* Initium: *Peruenit ad me caritatis tue deuocio karissime frater ut aliquam orationem singularem et specialiter tibi bonam et utilem indicarem &c.* Fraus ei gemina, qua *Hieronymo* olim *Psalterium* subposuere. Fingit pius Deceptor, *Hieronymum* inter Anachoretas versantem hanc precandi Formam accepisse. Sunt, ut ejus verbis utar, *in ea quinquies quinque clausule quinque versibus dauitidis quinquies dominica oratione quinque versiculis quos suffragia uocamus totidem collectis distincte.* Quae quantum ab *Hieronymo* abludant, non est, quod moneam.

V. fol. 80. p. 2. *Incipit delectatio deuote anime in deum in seipsum et in proximum.* Brevis norma ordinis diurni pro hominibus Deo facris, quae incipit: *Ad diligentiam adhibendam ut anima tua in deo firmetur &c.*

VI. fol. 89. *Libellus de Consolationibus.* Praeit *Tabula Capitulum XV.* quorum primum inscribitur: *Super Carentia mundana felicitatis et prosperitatis*, et incipit: *Quoniam secundum apostolum Quaecunque scripta sunt ad nostram consolationem scripta sunt &c.* Ita reliqua *Capita* res singulas, quibus aegre caremus, ita pertractant, ut pius *Compilerator* paene nunquam suis verbis utatur, sed *Patrum Catenam* nectat, adpositis singulorum nominibus.

VII. fol. 104. *Incipiunt X. omelie eusebij emisseni episcopi. Omelia prima.* Initium: *Exhortatur nos sermo diuinus ut curramus dum lucem habemus &c.* Extant hae *Homiliae* in *Bibl. PP. Lugd. T. VI. p. 656.* ubi ad *Monachos* inscribuntur, ex recognitione *Andr. Schotti*, et nomine *Eusebii Gallicani*, cum *Emeseni* nihil ejusmodi superfit. Verum far-

raginem potius esse aliorum Scrip-
torum latinorum discas e *Fabricii*
Bibl. med. Lat. T. V. h. v.

VIII. fol. 128. *Stella Cleri-*
corum. Indicata saepe, ut Index
docet.

IX. fol. 150. p. 2. *Tractatus*
de Confessione, qui incipit: *Quo-*
niam circa confessionem sunt peri-
cula animarum — Ideo ego Inno-
cencius secundo nomine episcopus
— compilavi &c. Articulis XVI.
constat, quorum primus: *Quo*
tempore incepit confessio. Metho-
dus scholastica. Autor, mihi fal-
tem, ignotus.

CCIII.

VI. B. 19 Codex membraneus lat. Sec.
XI. Folior. 142. f. nitide scrip-

tus et rubricatus complectitur S.
Hilarii Pictavorum Antistitis, qui
Sec. IV. Latinorum primus cala-
mum in Arianos strinxit, *Opera*,
et quidem I. *Libros XII. de Tri-*
nitate. Praecedit *Hilarii* elogium
e variis Epistolarum *Hieronymi*
locis contextum hoc initio: *Quan-*
tus inter aecclesiasticos Scriptores
Catholicos et apostolicos doctores
Hylarius pictaviensis ecclesie pre-
sul effulsit. diuine legis singularis
interpres Hieronimus memorię fi-
delium commendare multipliciter
studuit &c. Sequitur *Carmen*, *Ve-*
nant. Fortunati quod, cum in edi-
tis Exemplaribus non inueniam,
huc transtuli, insertis coniecturis,
mutatoque distichorum ordine,
qui in *Cod.* perturbatus adparet.

Hylarium queris quis sit cognoscere lector.

Allobroges referunt. pictauos (Pictauiis, Pictauiio?) genitum.

Inprobus ut uidit plebes quod scinderet error.

Grecorum uiros (uirus) protulit in medium.

Vipereo promunt semper qui ex corde uenena.

Filius ut dicant. quia est creatura dei.

Quis (queis) magis auxilium prestat sapientia mundi.

De ingenito genitum. que negat esse deum.

Quam male complexus cupiens calcare prophetas.

Arrius infelix. cum retinet crepuit.

Egregius doctor. ueterum monumenta secutus.

Quem stephanus uidit. comprobat esse deum.

In patre qui (omni) potens deus est cognoscere natum

Diuinum tantum. uocibus insinuat.

Victus amore dei. contempto principe mundi.

Intemerata fides. pertulit exilium.

Perpetuum lumen cristum dominumque deumque

Bissenis populos. edocet esse libris.